

dispensatio numquam aut raro concedatur alicui in minori etate constituto; ita ut non obstante defectu etatis possit Beneficium vacaturum obtinere ab Ordinario; sed cum vacat Beneficium, debet à Papa Beneficii provisio peti cum dispensatione super etate: "ratione" cuius provisionis solvuntur jura Camera Apostolicæ consueti: unde si Beneficii hujusmodi fructus excedant valorem 24. ducatorum auri de Camera, solvenda erit etiam *annata* Annatis, perinde ac si Beneficii hujusmodi collatio spectaret simpliciter ad Papam. Non enim poterit hoc casu Beneficium conferri per Ordinarium, & dispensatio peti ad partem à Papa; sed utrumque scilicet, & provisionem, & dispensationem unico contextu, unica supplicatione, & unica bulla conceditur ab ipso Papa.

CAPUT II.

De Ordine Beneficium annexo.

1. *Primis seculis nihil de Ordine Beneficium annexo statuitur, & quare?*
2. *Quando, & quare id statuitur?*
3. *Ordo aliquando actu, aliquando aptitudine annexus.*
4. *Ex fundatione dignoscendum utro modo sit annexus.*
5. *Si verba fundationis qua Ordinem requirunt respiciant actum provisionis, censetur actu annexus.*
6. *Idque sive affirmative sive negative sint expressa.*
7. *Dum verba fundationis tantum respiciunt iunctio obsequia censetur annexus potentia.*
8. *Si fundatio velit, ut Capellanus per se Missam celebret, est Sacerdotalis sed aptitudine.*
9. *Jure communis inspecto Capellania cui annexum est onus celebrandi Missas est Sacerdotalis.*
10. *Quando, & quare hujusmodi Capellania à residentia absoluta.*
11. *Non videtur indifferens per quos Missa celebrentur.*
12. *Generali consuetudine similes Capellania à residentia, & obligatione suscipiendis sacros Ordines exempta.*
13. *Hodie Capellania cum onere Missarum non est Sacerdotalis.*
14. *Nisi se in fundatione sit expressum.*
15. *Decretum Synodi Tridentinae obligans Capellanos ad personalem officii persolutionem.*
16. *An vi hujus Decreti Capellania cum onere Missarum sit Sacerdotalis, & residentia obnoxia?*
17. *Capellania cum onere interessendi divinis est obnoxia residentia.*
18. *Missarum privatarum celebratio per substitutum cur fieri possit.*
19. *Ordo Dignitatibus & Beneficiis Parochialibus quomodo annexus?*
20. *Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium qualiter annexus?*

I. **T**i super etate ad Beneficia requisita primis Ecclesie seculis nihil statutum reperitur, eo quod Beneficiorum collatione ipsi Ordinationi conjuncta etas Ordinibus præfixa, Beneficiis quoque eadem præfixa censeretur; eadem ratione de certo Ordine ad Beneficia requisito, aut iis annexendo mentio non occurrit; nisi postquam Beneficiorum provisio ab Ordinum collatione separata fuit.

II. Dum enim hæc separatio invaluit, caperunt Be-

neficia conferri Ordinibus ad functiones Beneficiorum obeundas necessarii nondum initiatis qui preventibus & honoribus prærogativisque temporalibus contenti, Ordines suscipere negligebant; functiones quæ Ordinem requirebant, aliis committentes.

Hinc tandem prodire tot Conciliorum Decreta, Beneficium Ordinem majorem aut minorem, pro cuiusque Beneficii conditione, annexentia; nec non ipsos Beneficiarios urgentia ad personalem functionem, quæ ipsis Beneficiis sunt propria, persolutionem: eoque pacto indirecte urgebantur hujusmodi Beneficiarii ad Ordinum susceptionem, sine quibus functiones illas personaliter sive per se persolvere non poterant.

III. Porro spectata modernâ disciplinâ, ordo interdum dicitur Beneficio annexus actu, aliquando habitum vel potentia.

Priori modo censetur annexus, quando Ordo requiritur tempore collationis seu provisionis Beneficii: ita ut non possit quis de simili Beneficio provideri, nisi actualiter Ordine illo sit insignitus.

Posteriori modo dicitur Ordo Beneficio annexus, quando non requiritur quidem, ut quis habeat Ordinem Beneficio annexum tempore collationis; sed in ea sit etate constitutus, ut infra tempus à jure præscriptum, Ordinem suscipere valeat.

IV. Ut autem sciat, num Ordo sit actu, an verò dumtaxat aptitudine Beneficio annexus, præcipue attendenda sunt verba fundationis: ex verbis enim fundationis maxime annexionis diversitas dignoscenda est.

V. Si enim verba fundationis dicant, præsentandum, aut instituendum esse qui actualiter sit hoc illo Ordine insignitus, indubitatum est, Ordinem illum, actu Beneficio esse annexum; nec posse ad illud præsentari, aut in eo institui, nisi actu eo Ordine insignitum.

Ubi autem verba fundationis non quidem addunt particulam actualiter; sed tamen verba fundationis, quibus Ordo exprimitur, respiciunt ex necessitate ipsum actum præsentationis, institutionis, aut collationis, communis opinio censet, Ordinem actu esse annexum: eoque casu requiritur ut præsentandus, aut instituendus, tempore præsentationis, institutionis, aut collationis sit actu ordinatus; nec sufficere, ut in ea sit etate, ut infra tempus à jure præscriptum ordinari queat.

Unde si in fundatione cautum sit, ut instituat Sacerdos, qui Missam per hebdomadam celebret, tunc nisi sit Sacerdos tempore collationis & institutionis, non valebit collatio vel institutio, ait Rebuffus in *Praxi Benef. parte 1. tit. Requisita ad collationem num. 35.* nam qualitas adjuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, id est in ipso actus initio.

VI. Neque refert, utrum verba fundationis concepta fuerint affirmative, puta, *presentetur* vel *instituat* Sacerdos; an verò negative, puta, *non presentetur* vel *non instituat* nisi Sacerdos; cum æquè per priorem, quam posteriorem formulam requisivit Fundator præsentari aut institui Sacerdotem: qui autem actu Ordinem non suscipit; sed tantum apertus ut infra tempus aliquod eum suscipiat, revera non est Sacerdos; & per consequens, verum non est, quod juxta verba fundationis presentetur aut instituat Sacerdos, aut non nisi Sacerdos.

VII. Si verò verba fundationis Beneficii non respiciant ipsum actum præsentationis, collationis vel institutionis, sed illius prosecutionem, sive functiones, quas Beneficiarius post obtentum Beneficium obire jubetur, annexo Ordinis censetur facta respectu aptitudinis: nec requiritur Ordo actu tempore præsentationis, collationis, vel institutionis, sed satis est ut is, cui de Beneficio providetur, sit in ea etate, ut infra tempus à jure constitutum eum ordinem suscipiat. Has regulas probat

Garcias

Garcias *De Benef. parte 7. cap. 1. num. 57.* quas novissime tuetur Fagnanus ad *Cap. Ut abbates. De Etate & qual. ordinand. n. 54.* samque esse communem Rotæ theoreticam ac sapius à S. Congregatione probatam asserit.

VIII. Itaque si fundatio Capellaniam habeat, ut Capellanus per se Missam celebret, censetur quidem Capellania Sacerdotalis, non actu, sed aptitudine: eo quod verba non respiciant actum provisionis, sed functionem præstandam à Capellano obtentâ Capellaniam. Idem erit, si dictum sit, Capellanum teneri ad continuam & personalem residentiam in Ecclesia, atque ibidem Missam dicere: erit Sacerdotalis ob adjunctam obligationem personaliter residendi; aut obligationem per se celebrandi, sed tantum aptitudine; quia verba Ordinem requirunt tantum respiciunt functiones & onera capellaniam. Ita resoluit S. Congregationem ibidem refert Fagnanus n. 52.

IX. In fundatione capellaniam frequenter cautum reperitur, capellanum teneri ad celebrationem unius vel plurium Missarum per hebdomadam pro anima Fundatoris, nullâ de residentia aut persolutione personali factâ speciali mentione; quo casu dubitatur, nam hujusmodi capellania ob onus celebrandi Missas annexum reputanda sit Sacerdotalis saltem aptitudine; id est, an providendus de simili capellania debeat tempore provisionis esse in ea saltem etate, ut infra tempus à lege præscriptum ad Sacerdotium possit promoveri.

In spectâ naturâ & conditione Beneficiorum, ex dispositione Canonum & Juris communis, dicendum esset, hujusmodi capellaniam esse Sacerdotales, saltem aptitudine.

Cum enim ex præscripto Canonum & Juris communis Beneficium detur propter officium; & qui Beneficium obinet, debeat officium annexum persolvere: ideoque omne Beneficium eodem jure residentiam requirat, consequens apparet, quod obtinens hujusmodi Beneficium teneatur ad Sacerdotium promoveri; eo quod sine Sacerdotio non queat officio, scilicet celebrandi Missas, Beneficio annexo, satisfacere.

X. Verum cum hæc capellania viderentur onus celebrandi Missas dumtaxat annexum habere, sensum consuetudine inductum fuit ut hæc capellania à residentia absolventur, quemadmodum titulo præcedenti cap. 4. notatum fuit.

Hoc verò demum invaluisse verisimile est, postquam creditum fuit, nihil aut parum intelle quis Missam celebret; sed totum fructum Sacrificii à Christo tamquam primatio offerente & Hostia oblata provenire.

Hac enim persuasione semel receptâ; sine difficultate indultum fuit, ut Sacerdotes hujusmodi Missarum onere gravati, aliis Missas celebrandas committerent: creditumque, intentioni Fundatorum abundè satisfieri, modo Missarum præscriptus numerus exactè persolveretur.

XI. Verum cum indubitatum sit, pietatem ac devotionem Sacerdotis non parum conferre ut fructus abundantior Sacrificii obtineatur; plurimumque interfit, an malus, an bonus Sacerdos Missam celebret; merito sanè dubitari posset, an ea fuerit Fundatorum intentio, ut hæc Missarum celebratio per quemcumque indifferenter Sacerdotem, quantumvis mercenarium, persolvatur; imò non raro viliores, pro dolor! quaerantur, ut minori honorario defungi queant.

XII. Quidquid sit, generali quasi consuetudine introductum est, ut Missarum celebratio capellaniam annexa, aliis delegari queat. Hinc ulterius invaluit, hæc capellaniam ratione hujusmodi oneris Missarum non esse Sacerdotales; sed simplicibus Beneficiis solam Tonfuram Clericalem requirentibus, annumerari; nisi spe-

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

ciatum & expressè fundatio, vel statutum, aut speciali consuetudo contrarium exprimat & requirant; quemadmodum latè deducit Garcias *De Benef. parte 7. cap. 1. num. 75.*

XIII. Et n. 88. refert resolutum per Rotam, quod capellania non requirat residentiam nisi Fundator jussit, quod capellanus per se ipsum infervere teneatur: quia, ex generali consuetudine beneficia simplicia personalem residentiam non requirunt; & licet id non procedat, ubi liquidò constat de particulari consuetudine in contrarium, tamen ad eam probandum non sufficit probare prædecessores residisse, & per se ipsos inferuisse, cum simus in materia facultativa; sed quod id fecerint coactè, & non voluntariè. Quod satis difficile erit.

Eandem sententiam probat quoque Fagnanus loco citato; atque frequenter à S. Congregatione responsum fuisse, capellaniam fundatas sub onere Missarum, vel ut capellanus Missas celebret, fundatas non esse Sacerdotales; ipsamque capellaniam defungi si per alium Missæ celebrentur.

XIV. Prædicta autem procedunt, nisi in fundatione secus caveatur ac sufficienter exprimat. Unde petenti Episcopo Aquilano, an capellania de jure patronatus laicorum possit conferri ei, qui non est ejus etatis, ut intra annum ad Ordines promoveri possit, onera subiturus, quæ dictæ capellaniam sunt annexa cap. 4. versu 11. *VERO Sess. 22. S. Congregatio censuit, non posse conferri si ei in junctum sit onus dicendi Missas personaliter, vel Evangelium, vel Epistolam cantandi, vel in fundatione dictum fuerit, ut obtinens esset Sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus.*

Non requiritur autem, ut hoc in fundatione expressè exprimat; sed satis est, ut id verbis æquipollentibus statutum fuerit; quemadmodum post Garciam monet Fagnanus n. 76. idque pluribus exemplis, & S. Congregationis resolutionibus confirmans.

XV. Hactenus dictis de capellaniam celebratione Missarum gravatis, & tamen Ordinem Sacerdotalem nec actu, nec aptitudine requirentibus, repugnare videtur Synodus Tridentina *sess. 22. cap. 4. De Reform.* decernens, ut "in qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac quælibet alia beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolam dicant, seu cantent: quocumque privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, juxta impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisiti; alioquin pœnas incurant, juxta constitutionem Concilii Viennensis, quæ incipit, *Ut si quis*, quam præfati decreto innovat. Cogantque Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos exercere ac cætera omnia officia quæ debent in cultu divino præstare, sub eisdem & aliis, etiam gravioribus, pœnis, arbitrio eorum imponendis.

Si ergo capellaniam in hisce Ecclesiis fundatæ sint cum onere Missarum, videntur vi hujus Decreti teneri earum possessores ea per se præstare; & consequenter cogi posse ad Ordinem suscipiendum, sine quo ea præstare nequeunt.

XVI. Imprimis admittit Fagnanus n. 80. quod qui obtinet capellaniam Sacerdotalem in Ecclesia cathedrali aut collegiata, teneatur per se officium præstare conformiter ad hoc Decretum.

At si capellania sit simpliciter fundata in tali Ecclesia sub onere celebrandi per hebdomadam aliquas Missas pro anima Fundatoris, negat Fagnanus, eam propterea esse Sacerdotalem, aut capellanum vi prædicti Decreti teneri celebrare per se; creditque hoc Decretum esse intelligendum de publicis officiis Divinis, id est, Officiis Chori; atque per Missas ibidem intelligi Missas Con-

Bbb 3 *venuales*

ventuales, quæ partem Divini officii Choralis conſtituunt? non autem Miſſas privatas quatum celebratio- ne hujusmodi capellaniæ gravatæ cenſentur.

XVII. Hinc concludit, capellanas in cathedrali aut collegiata Eccleſia fundatas cum onere intereſſendi divinis officiis requirere *perſonale* reſidentiam: eo quod conformiter ad hoc Decretum, ac inſuper Decretum ejuſdem Synodi *ſeſſ. 24. cap. 12. De Reformat.* omnes divina *per ſe*, & non ſubſtitutos compellantur obire.

Probat ulterius ibidem Fagnanus, quod capellania fundata in Eccleſia cathedrali aut Collegiata cum onere *deſervendi in divinis* requirit *perſonalem* reſidentiam; eo quod verba *deſervire in Divinis* hic polita videantur ſignificare *ſervitium* Chori, quod in hujusmodi Eccleſiis venit nomine *Divini Officii* live *Divinorum*: qui autem tenetur ad officium *chori* tenetur illud *per ſe* non per ſubſtitutum perſolvere.

Notat quoque Garcias De Benef. *parte 7. cap. 1. n. 89.* quod "capellaniæ habeant reſidentiam *perſonalem*, quando ultra Miſſarum celebrationem habent onus, adjuvandi Caratum in cantando & aliis ſimilibus.

XVIII. Igitur videtur, quod ſola celebratio Miſſarum, præſertim *privatarum* aut *votivarum*, quæ ad publicum & ſolemne officium Eccleſiæ non pertinent, id ſpeciale habeat, quod per *ſubſtitutum* perſolvi queat; niſi in fundatione aliter ordinatum fuerit: quod indubie non Canonum aut Patrum auctoritate, ſed forſan ex viliori de harum Miſſarum celebratione idea, ſeu ſeu conſuetudine introductum eſt; circa quam conſuetudinem quid fieri expediat, pro temporum & locorum variis circumſtantis Superiores, ac præcipue Epifcopi expendere debent. Illud ſaltem imprimis curandum, ut hæc Miſſarum officia ea qua par eſt reverentia & devotione peragantur; nec mercenariis & vilibus Sacerdotibus, per quos ipſum ſacrificium profanetur & in vilipendium adducatur, committantur.

XIX. Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. in *Cap. CUM IN CUNCTIS §. INFERIORA §. De Elect.* ſtatuit ut "ſi aſſumptus in Archidiaconum, in Diaconum, & Decanum, & reliqui admodum non fuerint, præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, ab illo removeantur officio, & aliis conferatur.

Ex hoc Decreto unanimi conſenſu concludunt Doctores, Archidiaconum, & Decanum alique Beneficiis ibidem nominatis Ordinem eſſe annexum; ſed *apertudine* dumtaxat: ut ſcilicet aſſumptus ad tale Beneficium eum aſſumere intra tempus à Canonibus præfixum teneatur. Quod verò ſi illud tempus, dicitur capite ſequenti.

XX. Synodus Tridentina *ſeſſ. 24. cap. 12. De Reformat.* vult ut "in omnibus Eccleſiis Cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus, Epifcopus autem cum conſilio Capituli designet ac diſtribuat, prout viderit expedire, quibus quiſque Ordo ex ſacris annexus in poſterum eſſe debeat; ita tamen, ut dimidia ſaltem pars Presbyteri ſint, cæteri verò Diaconi aut Subdiaconi; ubi verò conſuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes ſint Presbyteri, omnino obſervetur.

Quamvis Synodus velit, omnibus Canonicatibus Cathedralibus annexi Ordinem ſacrum, ut minimum Subdiaconatus; tamen quamdiu Epifcopus annexionem non fecerit, non videtur quod Canonicatus hi aliquem Ordinem annexum habeant ex ſola Synodi diſpoſitione; quemadmodum ſupra de annexione præbendæ Lectori Theologiæ notavimus; *parte 1. tit. 10.*

Si autem Epifcopus vi hujus decreti Ordines annexerit, tantum videbuntur annexi *apertudine*; id eſt, quod aſſumendi ad Canonicatus debeant eſſe in ea ætate, ut

infra tempus præſcriptum ad Ordinem annexum promovendi queant; uti latè apertè indicat Synodus *ſeſſ. 22. cap. 4. De Reformat.*

CAPUT III.

Intra quod tempus Ordo Beneficio annexus ſuſcipiendus, & quæ pœna non ſuſcepti?

1. Ordo actu annexus requiritur tempore provisionis.
2. Ordo annexus aptitudine debet ſuſcipi tempore à jure aſſumpto; niſi aliud habeat fundatio, aut conſuetudo, vel ſtatutum.
3. Concilium Lateranenſe dixit ſuſcipiendum intra tempus à Canonibus præfixum.
4. Tempus illud eſt unius anni.
5. Synodus Trid. Canonicos & Capellanos in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis obligat ad ſuſcipiendos Ordines annexos intra annum.
6. Annus ille currit à tempore pacificæ poſſeſſionis.
7. Quando poſſeſſio eſt litigioſa, non currit.
8. Non promotus intra annum debet probare Beneficium juſſe litigioſum.
9. Annus currit etiam ſi fructibus Beneficii non gaudeat.
10. Hodie in Gallia datur Proviſio Biennium ad Ordinem ſuſcipiendum; & quare?
11. Promoveendus ad Beneficium Parochiale hodie noſ debet actu illo Ordine eſſe inſignitus.
12. Ratio hujus diſcipline.
13. Non promotus intra tempus ipſo jure privatur Beneficio Parochiali: nec illud iteratò conferri poteſt.
14. Non obtinet hæc pœna in obtinente Collegiatum quæ ſimul eſt Parochialis Eccleſia.
15. Obtinens Dignitatem etiam curatam non privatur ipſo jure ob non promotionem ad Ordinem.
16. Beneficium Parochiale ob non promotionem vacat & alteri poteſt conferri.
17. Ut non promotus deſiciatur ex poſſeſſione debet prius curari & audiri; & quare?
18. Qua ſit praxis in Gallia?
19. Non promotus ad Ordinem tenetur ad reſtitutionem fructuum ſi animo non recipiendi Ordinem, Beneficium Parochiale acceperit.
20. Id quoque in aliis Beneficiis locum habet.
21. Qui ſciens ſic conſuſe etiam reſtitutioni obnoxius eſt.
22. Ordinem intra tempus ſuſcipiendum à reſtitutione liberatur, licet animo non ſuſcipiendi, Beneficium acceperit.
23. Quomodo obtinentes Beneficia non Parochialia ad ſuſcipiendum Ordinem annexum cogendi.
24. Qualiter Epifcopus diſpenſare poſſit in ſuſceptione Sacerdotum cum obtinente Beneficium Parochiale?
25. Quid circa non promotionem ad Ordines habeant privilegia & uſus Univerſitatis Lovaniensis.

I. Rdo vel annexus eſt Beneficio actu, vel dumtaxat *apertudine* juxta diſtinctionem traditam capite præcedenti.

Si priori modo annexus ſit, requiritur indubie ut tempore *proviſionis* leu inſtitutionis habeat Ordinem annexum, aliàs proviſio erit nulla ob defectum qualitatis in proviſio requisita.

II. Major eſt difficultas, quando Ordo annexus eſt Beneficio *apertudine*; ſive quando providendus de Beneficio non debet actu eſſe Ordine annexo inſignitus; ſed

ſufficit intra certum tempus ad Ordinem promoveri. Si ex fundatione aut ſtatuto aut conſuetudine ſpeciali ipſius Eccleſiæ tempus illud determinatum non ſit, indubie ad tempus jure communi determinatum recurrendam eſt.

III. Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. in *Cap. 7. De Elect.* poſtquam ſtatuit, ut Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec Parochialis Eccleſiæ regimen niſi qui jam 25. annum ætatis attigerit, ſubjungit: "Cum autem adſumptus fuerit, ſi Archidiaconus, in Decanum, & Decanus & reliqui admodum non fuerint, præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, & ab illo removeantur officio, & aliis conferatur, qui velint & poſſint illud convenienter adimplere.

IV. Quod ſit tempus à Canonibus præfixum Concilium non expreſſit; ac poſteriores Conſtitutiones id de naturali intellexit videntur; ut ſcilicet ad Ordinem annexum infra annum promoveri debeant.

Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. intelligens Canonem ab Alexandro III. editum circa ſuſceptionem Sacerdotii per eum qui ad regimen Parochialis Eccleſiæ eſt promotus, negligi, eundem renovans, una declarat quod ſit tempus à Canonibus præfixum, dicens: "Et intra annum à ſibi commiſſi regiminis tempore nunc tandem ſe faciat ad Sacerdotium promoveri." *Cap. 14. De Elect. in 6.*

Hæc Decreto conforme eſt quod ſub nomine Concilii Viennensis decernitur in *Clement. 2. De Ætate & Qualitate Ordinand.* ut ii qui Dignitates, Perſonatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi Ordines ſunt annexi, pacifice nunc obtinent in Cathedralibus vel Collegiatis ſecularibus vel Regularibus Eccleſiis, vel obtinuerunt in futurum, ad ejuſmodi Ordines ſe promoveri faciant *intra annum* ſub pœnis ibidem expreſſis.

V. Synodus Tridentina *ſeſſ. 22. c. 4. De Reformat.* vult ut "ii qui Dignitates, Perſonatus, Officia, Præbendas, Portiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Eccleſiis obtinent, aut in poſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, vide licet, ut alii Miſſas, ... dicant, ſeu canonicos, teneant, quæque in privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobilitate ſunt inſigniti, teneant, juſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere reſolvantur; alioquin pœnas incurant, juxta coſuetudinem Concilii Viennensis, quæ incipit: *ut i qui*, quam præſenti Decreto innovat.

Hoc Decretum abſolute decernere, ut ſimilia Beneficia obtinentes teneantur *infra annum* Ordines requiſitos ſuſcipere notat Fagnanus *ad Cap. CUM IN CUNCTIS §. De Elect. n. 63. atq;* eateus Concilium Tridentinum dictam Clementinam declaralle; quæ non ita clarè & præciſè adſtrungebat obtinentes hujusmodi Beneficia ad Ordines ſuſcipiendos; ſed tantummodo quamdiu non promovebantur, privabat voce *activa* in Capitulo, & dimidia parte diſtributionum.

Bonifacius VIII. cuidam ſuper interpretatione citati Decreti Concilii Lugdunenſis reſpondens ait: "Annus, autem hujusmodi qui à tempore illo inceperit, quo ipſius Eccleſiæ regimen commiſſum tibi extitit, & profeſſionem ejus pacificam habuiſti; vel per te ſtetit quo minus haberes eandem: tibi non currit, ſi promoveri juſto impedimento detentus intra tempus hujusmodi nequiveriſti." *Cap. 35. De Elect. in 6.*

VI. Ex hæc Decretali habetur, quod annus ille non currat ſimpliciter à tempore commiſſi regiminis, ſed à tempore quo illius poſſeſſionem *pacificam* habuit, aut per eum ſtetit quo minus haberet.

VII. Unde ſi litigioſa eſſet poſſeſſio Beneficii, pendente lite, & quamdiu per ipſum promotum non lit

quo minus pacificus illius ſit poſſeſſor, annus non currit.

VIII. Beneficium autem fuiſſe litigioſum probate debet *non promotus*; uti notat Rebuffus in Praxi Benef. *parte 2. tit. De non promotis intra annum §. c. numer. 4. 1.* qui de *in num. 42. addit*: "Cujus prætextu vidi multas imptari Parochiales, quia poſſidens lites ſibi ſingebat, ſed ante Deum cui omnia ſunt aperta, iſte qui ſingit litem, ſatis eſt privatus, nec aliquem habet titulum; ideoque recipiendo factus eſt prædo, & fur, & fallarius, quod ſalſo nomen Curati ſibi vindicat, & adſcribit, cum non ſit: quam obrem tenebitur ad reſtitutionem fructuum, ut quos ex re non ſua, cum ſit privatus, accipit, & mala fide: alioqui non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.

IX. Sed quid ſi obtinens Parochiale Beneficium non reciperet fructus primi anni propter jus deportus, ut vocant Galli? Nihilominus tenebitur promoveri, ait Rebuffus ibidem *num. 1. 1.* alioquin erit privatus anno elapſo; tum quia grex eſt eidem commiſſus, & habet pacificam poſſeſſionem Curæ, ac liberam exercitium animarum.

X. Notat quoque Rebuffus *n. 45.* quod poſtquam annus iſte computatur à die *pacificæ poſſeſſionis adeptæ*; & in hoc regno Galliarum *pacificam poſſeſſionem* quis non dicitur habere ante annum, ob id poſt annum *pacificæ poſſeſſionis alterum* habet annum ad promovendum; & ita declaravit Senatus Parisienſis anno 1547, in menſe Februario. "Deinde monet illam declarationem apprimè utilem, & hodie communem in dicta Curia.

XI. Poterit cum promotus ad Parochiale Beneficium teneatur intra annum à die *pacificæ poſſeſſionis* ad Sacerdotium promoveri, videbatur nullus poſſe ad ſimile Beneficium Parochiale aſſumi, niſi ſaltem in ordine ſubdiaconatus eſſet conſtitutus: cum aliàs juxta ſacros Canones ob interſtitia inter Ordines ſervanda nequidem intra biennium Sacerdotio inſigniri poſſet, quod & non obſcurè ſupponit *Cap. 5. De Ætate & Qualitate Ordinand.* Nihilominus tradit Rebuffus in Praxi Benef. *parte 1. tit. Requiſita ad collationem numer. 33.* quod Beneficia etiam Curata quis poſſit habere etiam ſi primam tantum habeat Tonſuram. Et licet Fagnanus dicat opinionem Rebuffi non eſſe conformem citato *Capitulo 5.* nihilominus fatetur, quod ſecundum opinionem Rebuffi in *praxi* ſervetur: "Nam ſi ait] Parochiales etiam conſarantur Clericis primæ Tonſuræ. Et S. Congregatio Concilii aliàs conſulſit, an matrimonium conſtractum coram Parocho adhuc intra annum ad ſacros Ordines non promotus, ſed prima tantum Tonſura initiatus ſit validum. Quam ſententiam Clemens VIII. ad ſe relata approbavit: "Hæc Fagnanus *ad Cap. PRÆTEREA §. De Ætate & Qualitate Ordinand. numer. 8.*

XII. Cum enim Eccleſia optet, ut promotio ad ſacros Ordines potius fiat titulo Beneficii, quam titulo Patrimonii, haud difficulter permittit, ut Beneficium etiam ante Ordinem ſacrum ſuſceptum Clerico conferatur, & ſuper interſtitio diſpenſetur, ſi Ordinum accelerationem ipſum Beneficium requirit; ita quidem, ut ea de cauſa permittat quoque Capitulo Sede vacante intra annum à die vacationis Litteras dimiſſoriales concedere: uti ſupra *parte 1. tit. 9. c. 2.*

XIII. Si obtinens Beneficium Parochiale intra annum à die *pacificæ poſſeſſionis* adeptæ ad Sacerdotium promotus non fuerit, auctoritate Conſtitutionis Concilii Lugdunenſis in allegato *Cap. LICET CANON*, "Eccleſia ſibi commiſſa eſt; privatus, nullà etiam præmiſſa ſa monitione." Additque Bonifacius VIII. in *Cap. COMMISSA De Elect. in VI.* quod nec ipſi non promotus ullatenus ea vice iteratò poterit conferri.